



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **IALINGÖENSIS*** IN NIGERIA NOVA CONDITUR
DIOECESIS IALINGÖENSIS Quo efficacius consuleretur aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in Nigeria
degentium, nuper est petatum ut in eadem Natione nova dioecesis constitueretur. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri
S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature
perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Caroli Mariae Viganò, Archiepiscopi titulo Ulpianensis atque in
Nigeria Apostolici Pronuntii, admotae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur de universi Dominici gregis
bono solliciti talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Yolaënsi dioecesi
separamus territorium regionis civilis patrio sermone nuncupatae «Taraba»; ex eoque novam condimus dioecesim
ialingoënsis, quam metropolitanae Ecclesiae Iosensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro
Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe «Jalingo» atque templum ibidem
exstans, Deo in honorem sancti Augustini dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, quem
diximus, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium
Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Februarii, anno
Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, p. 543 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana